



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 4. Deducitur né id rectè ex eo, quia mortale reddit indignum
qualibet amicitîâ Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

OBJICIT 2. Idem. Deus ratione peccati acquirit in omnia peccatoris obsequia jus, quo possit exigere, & peccator teneatur præstare: Ergo ratione peccati Deus constituitur Dominus. Antecedens probatur. Tum quia Deus titulo peccati potest obligare peccatorem ad patiendum penas æternas, ergo & ad reddenda obsequia, potest enim pena ad arbitrium iudicis in obsequium Reipubl. converti. Tum quia iure gentium homo captus, efficitur servus victoris. Tum quia Christus Dominus titulo redemptoris, acquirit jus in omnia nostra opera: Ergo & Deus titulo commissi peccati. Tum quia Deus ratione peccati potest hominem constituitur servum alius, ergo & suum.

RESPONDETUR. Imprimis concedendo totum, sed quærere restat, an id, quod offertur sit æquale, demptâ conditione servitutis? Deinde consequenter ad dicta supra, negatur Deum acquirere tunc jus, in illa opera, quia acquireret jus in nihil, ut dictum supra, è contra, acquisitio juris ad affligendum pœnis, non est acquisitio juris in nihil; sicut & traditio peccatoris in servum homini, non esset traditio ad nihil; quia ille stante peccato, posset exercere actiones, per ordinem ad illum alium hominem; cum non posset exercere actiones satisfactivas in peccato. Negatur item, quod Deus peccato vincat hominem, sed vincit illum diabolus vel creatura alia. Illud quod affertur de Christo, disparitatem duplicem habet. Imprimis, cum suppositio Redemptoris, ferat secum titulum capitis, influentis esse gratiæ, gratia autem affert titulum ad operationes gratiosas, hoc ipso poterit Redemptor acquirere jus, vi redemptionis, in actiones illas; vi autem peccati, esse illud gratiosum, & operationes gratiosas satisfactivas, amittuntur, adeoque redditur illud jus nullum, seu in nihil. Deinde, quia cum redemptio illa ponatur actionibus Theandricis involventibus dignitatem Personæ divinæ, hic ipse titulus sufficiens est, ut se illi creatura subdat cum suis obsequiis, jam autem ex dictis, peccatum non efficit servum Dei, adeoque non affert titulum illius obligationis.

OBJICITUR 3. Satisfactio æqualis, debet liberare creaturam à servitute, quam contraheret per peccatum; at pura creatura, nullis obsequiis id potest præstare, quia potest Deus talia obsequia exigere infinita, multitudine, duratione &c. nam potest omnia possibilia obsequia exigere.

RESPONDETUR. Concesso hoc toto, quærere restat, si hoc titulo hæc obsequia non exigerentur, essentne æqualia, illi servituti auferenda; quæraturque undenam ista inæqualitas oriatur: Et certè, pone per possibile vel impossibile, creaturam, quæ erat serva reddita peccato, alium ad unionem hypostaticam, hoc ipso actione sua satisfactiva posset evadere ad ipsius

tituli extinctionem. Si ergo aliunde non supponatur, quod non possit creatura actiones ponere extinctivas suppositionis servitutis, hoc ipso non probatur, quod pro mortali offensa, satisfacere pura creatura non possit.

INSTABIS. Potest deleri peccatum manente jure Dei in satisfactionem offensa.

RESPONDETUR. Concedo totum, quærere restabit, cur illud jus à creatura extingui non possit?

OBJICITUR 4. Per statum gratiæ non extrahitur peccator ab omni servitute peccati, sed à pura solum servitute; nam licet justus non possit à Deo tractari ut pure servus, cum sit amicus & filius: potest tamen tractari ut servus, & debitor obsequiorum ratione peccati.

RESPONDETUR. Etiam hoc concessio restat quærere: Si tali titulo non exigerentur hæc opera, essentne satisfactiva? deinde si dicatur à certis non nisi servitute liberari per gratiam, non accipiuntur phrasæ Patrum ut sonant, quæ sine addito enuntiant, per gratiam nos liberari.

OBJICITUR 5. Hanc ipsam esse rationem quâ utitur S. Anselm. lib. 1. Cur Deus homo c. 5.

RESPONDETUR. S. Anselmus hoc tantum dicit, quod, si creatura fuisset à creatura redempta, evasisset redemptricis creaturæ serva, si illius serva, non æquè digna ut ante, quia ante erat serva Dei, nunc foret serva etiam illius creaturæ redemptricis, sed inde non sequitur, ultimam rationem, quare pura creatura pro mortali satisfacere non possit, esse, quia est serva.

Punctum Difficultatis 4.

Deduciturne id rectè ex eo, quia mortale reddit indignum qualibet amicitia Dei.

PEREZ in manuscriptis de proposita quaestione sic discurrit. Sumpto quocunque actu bono, v. g. dilectione Dei super omnia, aut attritione, major est indignitas & demeritum peccati mortalis, quàm meritum & dignitas contritionis; quia quodlibet peccatum mortale constituit peccatorem indignum quâlibet amicitia Dei, & dignum amissione cujusvis gratiæ & beatitudinis: nullus autem actus puræ creaturæ, constituit operantem dignum qualibet amicitia Dei, & consecutione cujusvis gratiæ & beatitudinis; jam autem ut dignitas actus puræ creaturæ, æqualis esset indignitati peccati mortalis, necesse erat in tanta gratia & gloria, hominem constitui per contritionem, quàm indignus constituitur per mortale, quod non convenit ulli actui puræ creaturæ, quia tali actui, sufficeret recompensatio per determinatum gradum gratiæ & gloriæ.

DICENDUM est. Non rectè id exinde deduci.

PROBATUR Examine fundamenti allati. Sit lux solaris vel candelæ, privatio illius lucis faciet

faciet tenebras, quia tenebrae expellunt omnem possibilem lucem, eique opponuntur: tamen si ponatur lux, determinatam nonnisi illuminationem afferens, sufficienter tollentur omnes illae tenebrae; & quod determinatam illuminationem afferat illa lux, non obest quominus expellat omnes tenebras; Ergo etiam quantumvis poneretur, quod peccatum reddat indignum omni possibili gradu gratiae & gloriae, si ponatur unus actus graciosus, merens determinatum gradum gratiae & gloriae, quamvis ille actus non afferat omnem possibilem gradum gratiae & gloriae, erit adhuc sufficienter ablativus, totius illius demeriti. Forma imaginariam similitudinem. Sit demeritum odii sicut tenebrae, sit meritum, sicut determinata lux, extinctio candela sit peccatum, reaccensio candela sit amor, v. g. Cum jam meritum transeat in conditione candela accensa, & privatio lucis in demeritum omnis possibilis gradus gratiae & gloriae, verè reaccensio candela, erit sufficienter expulsiva, quarumcunque tenebrarum. Cujus utriusque ratio resolvitur in hoc principium. Quia ad hoc, ut auferatur negativa universalis, non est necesse ponere omnia positiva particularia, sed sufficit positio unius, ut ostendit inductio: Quod ipsum probatur. Quia universalis constituitur per particulam *Et*, cuicumque applicabilem; aut potius per particulam *neque*, ut magis directè de negativa loquamur, hujus enim propositio- nis, nullà gratia est dignus peccator, est hic sensus; neque hac est dignus, neque hac, neque hac insuper, vel si vis, explicat id per particulam *Et*, ergo cum destruitur hoc totalitativum, & constitutivum universalitatis, ly scilicet *Neque*, per positionem vel unius, cui jam illud *Neque* applicari non poterit, hoc ipso ruet illa universalis, ruente illo constitutivo, universalitativo, totalitativo. Tum quia ex vi hujus sententiae, ex eo pura creatura non potest satisfacere pro mortali, quia vi mortalis reddit se peccator indignum quacunque gratia possibili; actu autem bono, non reddit se dignum, nisi aliquà gratia Dei, sed hoc non probat, pro mortali non posse à pura creatura satisfieri, quia tunc fit satisfactio pro mortali à pura creatura, quando à pura creatura ponitur contradictorium ei, quod est esse indignum quacunque gratia possibili. Contradictoria enim natura est, oppositam tollere, aliàs idem esset, & non esset; nec habebit jam vires resistendi, asserendique se suae morali durationi, si contradictoria sui ponatur, sed quamvis creatura non reddat se dignam quacunque possibili gratia, sed nonnisi aliquà gratia Dei, ponit contradictoriam, quod probatur; quia vi peccati sequitur verificatio hujus universalis. Non est dignus quacunque gratia possibili: sed potest creatura pura ponere contradictoriam hanc; Est dignus aliquà gratia Dei; dicit enim Perez, quod pura creatura possit ponere actum, me-

rentem determinatum gradum gratiae; Ergo potest ponere creatura contradictoriam illi propositioni. Tum quia, si quaeratur quid sit hominem peccato mortali reddi indignum quacunque gratia possibili? nihil aliud in re erit, quam peccatorem habuisse aliquam gratiam, illam amisisse, nec recuperasse; quid enim hoc in re aliud est? sed hoc ut auferatur, non est necesse reddi dignum quacunque gratia possibili, sed sufficit reddi dignum aliquà. Ergo quamvis pura creatura actione bonà non se ponat dignam quacunque gratia possibili, adhuc sufficienter auferetur peccatum. Minor probatur, quia nullum est praedicatum in praedicta indignitate, quod non auferatur, si pura creatura digna evadat determinato gradu gratiae; nam praedicato: *Habuisse*, opponet se *habere actuale*: praedicato: *amisisse*, opponet se *recuperasse* determinatum gradum gratiae; praedicato: *Non recuperasse* opponet se praedicatum: *Recuperasse* aequalem, ut supponitur, gradum gratiae. Et certè, si creatura ponens se dignam aliquà determinata gratia possibili, quamvis non se ponat dignam omni, si inquam non sufficienter auferret Ly: esse indignam quacunque gratia possibili, exigeretur major recompensa, quam fuerit damnum; quia damnum erat nonnisi determinati gradus gratiae, & in recompensa exigeretur dignitas, ad omnem possibilem gratiam. Quamquam dicere etiam posset quis, quod pura creatura actione bona supernaturali, ponat se dignam quacunque gratia possibili, licet indeterminate sumpta, modò illa sit aequalis praehabita; hoc ipso enim non esset aequalis, si illa dignus non foret. Quod si reddatur eo sensu peccator dignus quacunque gratia possibili, non apparet quid tunc deesset ad condignam satisfactionem, stando in terminis Perez. Tum quia quamvis pura creatura opere bono non possit mereri omnem possibilem gradum gratiae & gloriae; meretur tamen de condigno determinatum gradum gratiae & gloriae. Ergo etiam quamvis creatura opere bono, non sit digna omni possibili gradu gratiae & gloriae, sed nonnisi determinato gradu, adhuc sufficienter satisfaciunt. Tum quia hoc, quod est hominem, peccato mortali reddi indignum quacunque gratia possibili, duo dicit; imprimis negationem omnium gratiarum; deinde, quod illa sequatur ad peccatum perpetratum. Positione unius gratiae, auferetur quidem totalitas negationis omnium gratiarum, ut dictum supra; sed non auferentur particulares negationes, quae durant, & praefuerunt etiam tunc, quando ante peccatum supponebatur gratia in peccatore; nam etiam posita gratia, sunt negationes infinitae gratiarum, in iusto, quod autem non auferantur istae negationes gratiarum, cum peccator justificatur, ratio est: quia negationes auferri non possunt nisi per esse; quia autem esse determinatae gratiae, non est esse re-

liqua-

liquarum gratiarum; licet hoc, quod est non habere reliquas possibiles gratias, non sit peccaminosum, cum habere omnes sit impossibile; si autem non habere gratias omnes, non est peccaminosum, quamvis conversus, non sit dignus omni gratia, non hoc ipso constituetur in statu peccati. Tota ergo difficultas restabit de ipsa indignitate, an scilicet in poenam sint illae negationes, quia autem posita una gratia (quam determinatam posse respondere v. g. actui bono amoris, supponit Perez) jam non erunt illae negationes in poenam, nec ergo oberunt, quominus se restituat tunc peccator, in statum gratiae. Ex quo conficitur tale argumentum. Potest pura creatura actione sua bona, reddere se dignam determinatio gradu gratiae, negatioque dignitatis aliorum graduum, non erit illi peccaminosa. Ergo, quamvis peccator, actione sua bona, non se reddat dignum omni possibili gratia, adhuc sufficienter satisfaciet, & restituet se in pristinum; quia in quo se non restituerit, hoc jam illi non potest imputari ad offensam. Tum quia indubie condonatio divina aufert offensam, neque tamen facit dignum omni possibili gratia & gloria: Ergo nec satisfactio id facere debet, nam ad satisfaciendum sufficit praestare hoc, quod praestat condonatio.

PROBATUR 2. Tum quia alia est formalitas praecisa offensa, & alia indigni, gratia quacunque possibili: quia etiam in creatis, condistinguntur haec nam prius est offendi, postea sequitur, ut sit indignus, donis gratuitis. Quæro ergo de prima illa formalitate, estne in potestate purae creaturae, etiam gratia Dei adjuncta, auferre illam, vel non? si est? ergo non affert rationem, cur a pura creatura non possit fieri satis, quæ queritur. Si non est: quæ hujus ratio? non enim jam recurrere poteris ad esse indignum quacunque gratia, quia hoc est posterius. Tum quia quamvis pura creatura, non possit se, actione bona, reddere dignam quacunque gratia possibili; vel potest adhuc se, actione sua ex gratia profecta, reddere dignam determinatam aliquam gratia Dei? vel non potest? si non potest, quare? & hoc potius erit ratio, cur non possit pro mortali pura creatura satisfacere; allataque ratio manca erit, quia non poterit recurri, quod se indignum reddiderit quacunque gratia possibili: quia non queritur de dignitate ad quamcunque gratiam possibilem, sed de dignitate ad hanc. Si potest: ergo poterit & satisfacere pro mortali; quia quando homo, gratia adjunctus, potest auferre a se mortale, potest etiam facere, ut non reddatur tibi Deus offensus; quia ratio offensa fundatur in illo mortali. Si autem potest homo gratia Dei adjunctus mereri determinatum gratiae gradum, potest a se auferre mortale: Quia gratia in principiis Perez, ita est sublativa mortalis, ut ne divinitus quidem possit stare cum peccato. Tum quia probari deberet, quod debeat

peccator in tanta dignitate constitui satisfactio, in quanta fuit indignitate constitutus per peccatum; cur non enim sufficeret ad satisfactionem, in tanta dignitate constitui, quantam habuit ante peccatum? querereque restabit, cur id non possit fieri? præcipue cum peccator in principiis Perez, possit adipisci determinatum gradum gratiae.

PROBATUR 3. Principio Negativo. Non implicat contradictionem, ut sit æqualis dignitas contritionis, quanta est indignitas peccati.

RESPONDEBIS. Implicare: quia contritio reddit dignum non nisi determinato gradu gratiae.

CONTRA: Non implicat contradictionem, ut quamvis contritio non reddat dignum, quolibet amicitia Dei, adhuc illa sit condigna satisfactio; cum etiam peccatum, ut dixi, non reddat dignum quocunque odio Dei, sed majori odio reddit dignum, v. g. Christicidium, quam furtum Imperialis, cur ergo non æquabuntur inter se illa contritio & illud peccatum? cum nec peccatum reddat dignum nisi determinato odio; sicut & contritio reddit dignum determinata gratia. Non implicat item, ut quamvis contritio non reddat dignum omni gratia, reddente tamen peccato, indignum peccatorem quacunque gratia, non implicat inquam haberi condignam satisfactionem, modo constituat se peccator in tali statu, qualem habuit ante peccatum, quando poteratur determinato non nisi gradu gratiae.

CONFIRMATUR. Odium quo creatura odit aliam creaturam rationalem, vel reddit odientem indignum quolibet amicitia Dei, vel non reddit? si non reddit, nec peccatum reddit. Si reddit, redibit argumentum negativum. Quamvis odium, quo odit creatura creaturam, reddat illam indignam quacunque amicitia illius creaturae, non implicat contradictionem, ut satisfactionem faciat saltem per actum intensiorem, extensorem &c. ergo, & per ordinem ad Deum, non implicabit id fieri.

OBJICITUR 1. Argumentum allatum in explicatione.

RESPONDETUR. Quamvis homo actu bono amoris post peccatum elicit, non reddatur dignus quacunque amicitia Dei, sufficit quod non reddatur indignus omni, & hæc Responsio erit conformis dictis in prima probatione. Deinde, cum non implicet esse meritum determinati gradus gratiae, hoc ipso erit condigna satisfactio, ut dictum in secunda probatione. Denique non implicat contradictionem, esse illud satisfactionem sufficientem, quod non reddit dignum omni possibili gradu gratiae, ut dictum probatione tertia.

OBJICITUR 2. Peccatum mortale, est recessus efficax, perfectus & culpabilis, a Deo ut ultimo fine; nullus autem actus purae creaturae, est accessus

accessus efficax, perfectus, voluntarius ad Deū. Porro accedere nos ad Deum hoc modo, est re vel jure possidere Deum, per visionem beatificam, & possideri nos à Deo per amorem, quo illum super omnia diligamus; at ad utramque possessionem tam activam, quam passivam, acquiritur nobis jus, per gratiam habitalem. Ex definitione accessus constat, quid sit recessus positivus: erit enim, malitia contraria, & destructiva talis accessus; cum ergo possibile sit, cadere nos actu, omni possessione tam activā, quam passivā divinitatis, & perpetrare culpam contrariam omni ejus possessioni, qualis est culpa mortalis; patet, efficacem culpabilem & perfectum recessum à Deo nos posse incurrere, per peccatum mortale; at penitus est impossibile, ut acquiramus omnem possessionem Deitatis possibilem, divinitas enim semper est magis & magis participabilis à creatura per amorem & visionem. Ergo accessus ad Deum per actum bonum, non potest esse tam perfectus, quam malus recessus per mortale.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probare, probaret enim, quod etiam cum Deus dimittit culpam, & evadit homo justificatus, quod adhuc maneat illi offensum Deus; quia eo casu adhuc non est dignus omni possibili gradu gratiæ & gloriæ. Rursus probatur argumento, quod actus amoris supernaturalis, sit sufficiens satisfactio pro mortali; quia ille actus est perfectus accessus ad Deum, accedere enim perfecte ad Deum, est re vel jure, possidere Deum per visionem, & possideri nos à Deo per amorem; hoc autē habetur, si quis peccator amet Deum: quia vi actus amoris supernaturalis super omnia, acquirit jus determinatum ad visionem, adeoque saltem æquale præterito: quia etiam præteritum jus, erat non nisi ad determinatum gradum visionis. Rursus etiam per mortale, potest esse recessus major, perfectior, magis voluntarius, neque enim voluntarium illud est infinitum; & tamen hoc non obstat, quominus sit ille perfectus recessus. Ergo nec amori obstat, quominus sit perfectus accessus, quamvis possit dari perfectior. Denique non est necesse recessum & accessum æquiparari; quia recessus à Deo est malum, si malum incurritur totum ex singulis defectibus; accessus autem est bonum, & quia unus accessus non est alter accessus, idē non habetur totum accessus; sed inde non sequitur ulla inæqualitas satisfactionis, si se reddat pura creatura dignam uno determinato gradu gratiæ: quia ad æqualitatem satisfactionis, sufficit, ponere se in tali statu, in quali fuit, cum non erat offensa; & tamen tunc non habebatur jus, nisi ad determinatum gradum gratiæ. Directe dici potest, quod accessus ille non sit perfectus perfectione, quā, in ratione accessus, dari non possit major; sed negando, quod non sit perfectus perfectione, quæ constituat in tali saltem gradu, qui habebatur, quando nondum erat suppositio of-

fensa. Item dici potest. Quamvis pura creatura non accedat amore ad omnem possibilem gradum gratiæ & gloriæ, sufficit, ut accedat ad aliquem, ut dictum supra. Denique dici potest, concedendo totum, & subinferendo: quod non implicet, ut sit satisfactio sufficiens, quamvis homo non se dignum reddat omni possibili gratia, nec ponat omnem possibilem accessum.

OBJICITUR 3. Ille quem ita quis offendit, ut sit dignus, quem injuriā & odio prosequatur offensus, justē spoliatur offendorem omni amicitia juræ; æquissimum enim est, non tractari ut amicum eum, qui voluntariē elegit esse inimicus; at peccatum mortale, est offensa Dei dignissimi amore; ergo est dignus peccator, quem Deus spoliatur omni jure amicitia. Quod verò actus aliquis & obsequium constituat aliquem dignum amicitia alterius, non sufficit ut is, in cujus gratiam obsequium exhiberet, constitutur debitor omnis amicitia.

RESPONDETUR. Hoc argumento probari, quod etiam pro creata offensa, non fiat satis; quia etiam creata satisfactio, non constituit offensum debitorem omnis amicitia. Quod si dicas sufficere ad creatam satisfactionem, ut offensum constitutur debitor alicujus amicitia, idem in præsentia etiam à nobis, secundum dicta superius usurpabitur.

Punctum Difficultatis 5.

Deduciturne id bene ex periculo facilis offensa?

RATIONEM cur sit impossibile, ut pura creatura pro mortali offensa, possit condignè satisfacere: sic proponit Lugo.

Impossibilitas hæc provenit ex magnitudine hujus offensa, quæ licet sit finita, tanti tamen ponderis est, ut pariat hanc impotentiam, nam sicut, cum sit culpa finita, parit tamen indignitatem, quæ meretur poenam infinitam secundum durationem, eod quod illa poena necessaria sit secundum rectam gubernationem, ad arcendum homines à tanta culpa: sic etiam, licet sit offensa finita, postulat tamen condignè non aboleri per satisfactionem finitam: alioquin si scirent homines, Deum condignè placari posse per nostra obsequia, & offensam omnino extinguere, facilius auderent Deum offendere. Et sicut pensatā gravitate culpæ, & proclivitate ad peccandum, condignè statuta est poena æterna, quia minor poena non sufficeret id continendum homines; sic pensata gravitate hujus offensa, & hominum levitate, sequitur nulla hominis obsequia admittenda, pro condigna satisfactione, exceptis obsequiis Christi; qui sicut poterat condignè satisfacere pro poena æterna peccato debita, idque propter infinitam satisfactionem superantē demerita peccati; sic licet peccati offensa exigit non posse deleri nostris obsequiis de condigno, poterit deleri obsequiis Christi.

DICEN-